STANISLAUS AUGUSTUS

Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux
Lithuaniæ Russiæ Prussiæ Masoviæ Samogitiæ Livoniæ Kijoviæ Volhyniæ Podoliæ Podlahiæ Smolensciæ Severiæ Czerniechoviæque.

SIGNIFICAMUS præsentibus Literis nostris quorum interest Universis et Singulis Exhibitas nobis esse et productas, Nomine Spectabilis Magistratus et Communitatis Civitatis Nostræ Clepardiensis Literas pargamineas authenticatas infrascriptas manu Serenissimi Divæ memoriæ Augusti Tertij Prædecessoris Nostri subscriptas; Sigilloq. Regni Cancellariæ Majoris pensili communitas, sanas salvas et illæsas omniq suspicionis nota carentes, Continentes in se generalem Confirmationem Jurium Privilegiorum, Concessionum Libertatum ac Immunitatum Omnium in genere ijsdem Civibus et Incolis Clepardiensibus à Serenissimis Prædecessoribus Nostris Poloniæ Regibus Ducibus benigniter largitorum concessorum approbatorum et per Eundem Serenissimum Augustum Tertium Prædecessorem Nostrum Confirmatorum. Quarum quidem literarum tenor est ejusmodi. Augustus Tertius Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ Russiæ Prussiæ Masoviæ Samogitiæ Livoniæ Kijoviæ Volhyniæ Podoliæ Podlahiæ Smolensciæ Severiæ Czerniechoviæque nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ Princeps et Elector etc. Significamus præsentibus Literis Nostris quorum interest universis et singulis, exhibitas nobis esse per certos Cancellariæ Nostræ Lateri Nostro assidentes nomine Spectabilis Magistratus et Communitatis Civitatis Nostræ Clepardiensis Literas pargamineas authenticatas manu propria Serenissimi Olim Augusti Secundi Parentis et Antecessoris Nostri desideratissimi subscriptas Sigilloq. Regni Cancellariæ Majoris pensili communitas, sanas salvas et illæsas Omnique Suspicionis nota carentes, continentes in se generalem Confirmationem Jurium Privilegiorum Concessionum Libertatum ac Immunitatum Omnium in genere iisdem Civibus et Incolis Clepardiensibus à Serenissimis Antecessoribus Nostris Poloniæ Regibus Ducibus benigniter largitorum concessorum approbatorum, et per eundem Serenissimum Augustum Secundum Parentem et Antecessorem nostrum Confirmatorum. Quarum quidem literarum tenor est ejusmodi qui sequitur. Augustus Secundus Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kijoviæ Volhyniæ, Podoliæ

Smolensciæ.

Smolensciæ Severiæ Czernichoviæq; Nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ et Princeps Elector etc.
Significamus præsentibus Literis nostris quorum interest Universis et Singulis Productas co-
ram Nobis esse Nomine Spectabilis Magistratûs et Communitatis Civitatis Nostræ Clepar-
diensis Literas pargamineas, Authenticatas infrascriptas Manu Serenissimi Olim Divæ me-
moriæ Joannis Tertii Prædecessoris Nostri desideratissimi subscriptas, Sigilloq; Regni Can-
cellariæ Majoris communitas Sanas, salvas, Omnique suspicionis Nota carentes, continentes
in se generalem Confirmationem Jurium, Privilegiorum Concessionum, Libertatum ac Immu-
nitatum Omnium in genere Iisdem Civibus et Incolis Clepardiensibus à Divis et Serenis-
sibus Prædecessoribus Nostris Poloniæ Regibus, Ducibus, benignè largitorum concessorum
approbatorum, et per eundem Serenissimum Joannem Tertium Prædecessorem Nostrum Confir-
matorum; tenoris ejusmodi qui sequitur. Joannes Tertius Dei Gratia REX Poloniæ Magn. Dux
Lithvaniæ Russiæ Prussiæ Masoviæ Samogitiæ Livoniæ Kijoviæ Volhyniæ Podoliæ Podlachiæ Smolen-
sciæ Severiæ Czernichoviæq; Significamus præsentibus Literis Nostris, Quorum interest universis
et Singulis. Non minores extinctæ Regum et Principum laudes, quibus virtutis memoria æternitati con-
secratur, quando fidelium Subditorum Juribus, Commoditatibus et utilitatibus prospectum est pro-
venire arbitrari. Quemadmodum eo die qua Sacrum capesseramus Diadema, Omnium Incolarū
Regni et Dominiorum Nostrorum privata et publica Jura et Privilegia, a quibuscunque Majoribus
et Prædecessoribus Nostris gratiose concessa et indulta, solenni Jurisjurandi Religione Confirmavi-
mus, et rata ac firma servaturos Nos spopondimus; Ita cum Nobis nomine spectabilis Magistratus
et communitatis Civitatis Nostræ Clepardiensis per Senatores Regni ad præsentia Comitia felicis
Coronationis Nostræ hic celebrata et certos Consiliarios Nostros ad Latus Nostrum Congregatos Suppli-
catum esset; Quatenus Omnia ejusdem Civitatis Jura Privilegia Literas, Immunitates Libertates Decre-
ta et Prerogativas Ipsis à Serenissimis Antecessoribus Nostris Regibus Poloniæ et alijs quibusvis Ma-
joribus nostris benigne concessas insuper et Consuetudines quibus hactenus usi sunt. Nec non Plebistica
eorundem specialibus Literis nostris approbare innovare Confirmare ratificare novisque gratiæ et Mu-
nificentiæ nostræ Regiæ beneficijs ampliare dignaremur Nos Supplicationi præfatæ uti justæ be-
nigne annuentes Omnia et singula prædictæ Civitatis nostræ Clepardiensis Jura Privilegia rescri-
pta Literas Decreta Immunitates, Libertates et prærogativas, à Serenissimis Antecessoribus Nostris
eidem datas et gratiose concessas ac omnes laudabiles usuque tentas et observatas ipsius Consuetudi-
nes nullis penitus exceptis aut exclusis; Nec non Plebistica non secus atque hic Omnia et singula tam in
genere quam in Specie de verbo ad verbum in suis tenoribus et contextibus descripta et exarata fo-
rent. Et præsertim Serenissimorum Regum Poloniæ Privilegia. Primum Casimiri Magni Regis Con-
stitutionis seu Ordinationis in Suprafata Civitate Clepardiensi protunc nova Cracovia uti à primeva sui
fundatione nuncupata Omnium et Singulorum Artificum in antiqua Civitate Cracoviensi reperientium
eorundemq Libertatum et Immunitatum universaliter Omnium. Nec non depositorij Salis, in eadem Civi-
tate Clepardiensi vim et robur perpetuum habendorum. Sub actu Cracoviæ in Vigilia Sanctissimæ Trini-
tatis Anno Domini Millesimo Trecentesimo Trigesimo Quinto Secundum ejusdem Casimiri Magni Regis
supranominatæ Civitatis Clepardiensis penes Ecclesiam Sancti Floriani fundationis, ejusdemq; Floren-
tia nominationis Usus communis cum Civitate Cracoviensi antiqua, infra limites et granities tam in
pascuis quam etiam in Alijs Oportunis Macellorum carnium Mensarum, panum Sutorum aliorūq;
quorumvis Artificum, Salva censuum ex ijsdem pro se Serenissimisque Successoribus suis reservata
pensione. Constitutionis liberæ Pannorum albi et grizei coloris incisionis, Cervisiæ medonis et ali-
orum quorumvis liquorum braxationis et divenditionis, Fori singulis Ferijs Sextis frumentorum et
aliorum comestibilium institutionis. Insuper Advocati Civium et Omnium Incolarum, ejusdem Civita-
tis Florentiæ ab Omnibus Juribus Judicijs et Potestatibus Omnium Palatinorum Castelanorum, Ju-
dicum Subjudicum et Officialium Regni Universorum libertationis: Ita quod coram eis, vel eorum aliquo
pro Causis

pro Causis tam parvis quam Magnis, minime respondebunt Citati. Sed tantummodo Cives et Inco-
læ coram ipsorum Advocato. Advocatus vero coram Serenissimis Regibus, aut in Eorundem Ju-
dicio generali, dum tamen per Literas Sigillo Regni Sigillatas evocatus fuerit, Secundum Jus su-
um Teotonicum respondebit. Advocato memoratæ Civitatis Clepardiensis, judicandi Sententiā-
di Condemnandi et puniendi juxta instituta Juris Magdeburgici, et in Omnibus clausulis et Arti-
culis judiciariis; eisdem juribus et Libertatibus quibus et Civitas Cracovia gaudet gaudendi per- 113
missionis; de Data et Actu Cracoviæ in Crastino Sancti Joannis Baptistæ Anno Domini Millesi-
mo Trecentesimo Sexagesimo Sexto. Tertium Vladislai Regis ab Omnibus vectigalium
ducturarum equitaturarum quæ podwody dicuntur Opressionibus et gravaminibus exeptionis abso-
lutionis et perpetuo libertationis, de Actu in Nova Civitate Die Dominico infra Octavas Assumptio-
nis Sanctæ Mariæ Virginis Gloriosæ Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Nono. Quartū
Ejusdem Vladislai Regis a Casimiro Rege Fundationis Privilegii Confirmationis de Actu in
Proszowice feria tertia post Dominicam Oculi Anno Domini Millesimo Quadringentesimo vigesi-
mo. Quintum Ejusdem Vladislai Regis nullum ex Civibus Clepardiensibus, coram quocunque
Judicio seu Officio nisi coram proprio Civili Clepardiensi libere respondere declarationis, de Data
Visliciæ Feria Secunda in Crastino Sancti Bartholomæi Apostoli Anno Domini Millesimo Qua-
dringentesimo vigesimo Septimo. Sextum Ejusdem Vladislai Regis super fundum pro con-
struendo Balnei secus fluvium Rudawam inter Sancti Floriani et Sławkowiensem portas siti
ejusdemque cum suis commodis et proventibus Civitati Clepardiensi donationis de Actu Cracoviæ
Feria tertia post Dominicam Letare Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Vigesimo Octa-
vo. Septimum Ejusdem Vladislai Regis Libertatis Civibus Clepardiensibus emendi Vielic-
ciæ Salis minuti, et in Civitatem suam ducendi, ibidemq idem vendendi, de Data Cracoviæ
Feria Quinta post Dominicam Conductus Paschæ Anno Domini Millesimo Quadringentesimo
Quadragesimo. Octavum Casimiri Regis Confirmationis tam fundationis, quam Jurium et
Privilegiorum per Antecessores suos eidem Civitati Clepardiensi collatorum De data et Actu Cra-
coviæ Feria tertia proxima post Dominicam Misericordiæ Domini Anno Domini Millesimo
Quadringentesimo Quinquagesimo Sexto. Nonum Joannis Alberti Regis Confirmationis
Omnium Universaliter Jurium et Privilegiorum Libertatum et Immunitatum tam Spiritua-
lium quam Secularium ejusdem Civitatis Clepardiensis, de Actu Cracoviæ Feria Secunda pro-
xima post Festum Conversionis Sancti Pauli Apostoli, Anno Domini Millesimo Quadrin-
gentesimo Nonagesimo Quarto. Decimum Alexandri Regis, præfatæ Civitatis primo
nova Cracovia post Florentia, tum demum Ejusdem Regis seculo Klepárz nuncupatæ eidem
Confirmationis Omnium Privilegiorum, Inscriptionum, Libertatum Concessionum, Prærogati-
varum Indultorum et aliorum munimentorum, per quosque Reges et Principes Prædecessores
suos simul vel divisim eidem Civitati Clepardiensi datorum et concessorum de Actu Cracoviæ
Feria Secunda proxima post Dominicam Lætare Anno Domini Millesimo Quingentesimo
Secundo. Undecimum Privilegium seu Decretum Sigismundi Primi quo decernitur non de-
pendere Magistros et Socios, cujuslibet Artis et Contubernij Clepardiensis à Cracoviensibus
Quinimo Clepardiæ edocti ex Discipulis Socij ex Socijs Magistri censeri pro bonis et peritis tam
Cracoviæ quam ubiq declarantur, de Data et Actu Cracoviæ Feria Quinta, proxima ante Domi-
nicam Judica Anno Domini Millesimo Quingentesimo vigesimo Quarto. Duodecimū Sigis-
mundi Augusti Regis Omnium Jurium, Privilegiorum, Decretorum, Sancitorum Libertatū
immunitatum Civitati Suprafatæ Servientium Confirmationis De data et Actu Cracoviæ in Con-
ventione Generali Regni, Feria Secunda post Dominicam Palmarum proxima Anno Domini
Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo Tertio. Decimum tertium Ejusdē Sigismundi
Augusti

Augusti Regis Limitandarum Causarum cum Civibus Clepardiensibus in Judicijs Post Curialibus agitatum dum Causae Civitatis Cracoviensis limitantur declarationis. De data in Oppido Opoczno die Sancti Mihaelis Arhangeli Anno Domini Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo Tertio. Decimum Quartum ejusdem Sigismundi Regis; Plebistici ad instar ejusdem, quo Civitas Cracoviensis Utitur Confirmationis de Data Piotrcoviae in Conventione Regni Generali, Feria Secunda ipso Die Festi Sancti Stephani Protomartyris Anno Domini Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo Octavo. Decimum Quintum Sigismundi Tertij Regis Confirmationis Plebistici Electionis Consulum Clepardiae non ex alio Ordine Nisi Scabinorum Seniorum Literatorum et verae Catholicae Religionis. de Data Varsaviae Die vigesima Secunda Mensis Februarij Anno Domini Millesimo Quingentesimo Nonagesimo. Decimum Sextum Ejusdem Sigismundi Tertij Regis Confirmationis Generalis Omnium Jurium Privilegiorum Decretorum Libertatum immunitatum Praerogativarum Plebisticorum etc. Civitatis Clepardiensis de Data Varsaviae in Conventu Generali Regni Die vigesima tertia Mensis Februarij Anno Domini Millesimi Sexcentegisimo Nono. Decimum Septimum Joannis Casimiri Regis Donationis Magistratui et Communitati Civitatis Clepardiae Bonorum Omnium Mobilium et immobilium Summarum quarumvis pecuniariarum sive paratarum sive aliqua ratione obligatarum ubicunque in Regno Dominijsque eidem annexis existentium post Incolas et Concives eorum sine Testamentis et Legitimis Successoribus demorientes et Qui jam demortui erant ad Fiscum et dispositionem Regiam devolutarum eorum denique Bonorum attinentiarumque et pertinentiarum Jure vindicandi perpetuo et in aevum de Data Brestae Lith: die ultima Mensis Aprilis Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo tertio; Cum eà Declaratione Nostra praesenti specialiter eisdem concessa; Quod non tantum post Incolarum et Concivium suorum, verum etiam extraneorum sive Nostri sive exotici Status Dominij ibidem Clepardiae Sterilem, veluti non ita pridem ante aliquot Annos accessit inhonesta aliqua morte sibi Ipsi illata decessum; Jure eodem debebunt uti perpetuis temporibus. Decimum Octavum: Mihaelis Regis Antecessoris Nostri. Confirmationis generalis Omnium et Singulorum Jurium et Privilegiorum Civitatis ejusdem Clepardiensis de Data Cracoviae in Comitijs Felicis Ejusdem Serenissimi Regis Coronationis generalibus. Die octava Mensis Octobris Anno Domini Millessimo Sexcentesimo Nonagesimo Nono, atque alia Omnia in singulis eorum punctis Modis Nexibus Clausalis, Articulis conditionibus et Ligamentis generaliter Universis approbanda Confirmanda ratificanda; et innovanda esse duximus, uti quidem approbamus Confirmamus, ratificamus et Innovamus in quantum Juris est, et Usus eorum habetur, praesentibus Literis Nostris; Decernentes ea Omnia cum Suprafata Donationis Declaratione Nostra; Vim et robur perpetuae firmitatis obtinere debere. In Cujus rei fidem praesentibus manu Nostra Subscriptis Sigillum Regni est subappensum: Datum Cracoviae in Comitijs Regni Generalibus Felicis Coronationis Nostrae; Die Secunda Mensis Aprilis Anno Domini Millesimo Sexcententesimo Nonagesimo Sexto; Regni vero Nostri Secundo. Joannes Rex. Confirmatio Generalis Omnium Jurium et Privilegiorum Civitatis Clepardiensis Stanislaus Buzewski Generalis Regens Cancellariae Regni Majoris; Sigillum pensile Cancellariae Regni Majoris; in pixide Laminea Cera rubra expressum. Supplicatumque per Senatores Regni ac certos Consiliarios ad Latus Nostrum congregatos Ut Omnia praefata Civitatis Clepardiensis Jura Privilegia, Plebistica, Decreta, Libertates Immunitates ac Consuetudines tam circa Personarum ad Jura Civitatis admissionem, quam Earum ad quaevis Officia electionem; Bonorum immobilium alienationem, eorum resignationem ac in Possessionem traditionem, Causarum disjudicationem a disjudicatis et decisis admittendam appellationem, hactenus Usu receptas et Observatas approbare et cum Speciali gratia et declaratione Nostra; Ut quivis hominum tam jure Civili Clepardiensi gaudens, tam eodem Carens, Clepardiae tamen sive in Civitatensi sive in

Spiritualium

Spiritualium sive equestris Ordinis Personarum Domibus manens ac ibidem modum aliquem vivendi habens, Non aliam quam Civitatis Nostrae Clepardiensis ad Jurisdictionem cum suis bonis pertineat Oneraque Cum alijs Civibus et Incolis Clepardiensibus aequaliter ferat. Nulli vero Personarum Cujuscunque Sint Status Conditionis ac praeeminentiae Sal minutum in Bancis particulis et Vasis Vieliciae sive Bohniae Venundandi gratia advectum, tam in praedicta Civitate Clepardiensi quam ejus Circumferentia Utpote Fundis Episcopiensibus Sancti Spiritus Hospitaliensibus, Pedzihoviano ac ad Praeposituram Sancti Floriani Ejusdemque Ecclesiae Vicarios ac alium quemvis Spectantibus Nisi solismet Civibus Clepardiensibus facultatem à Magistratu suo habentibus et non alibi quam Clepardiae deponere disvendere. Depositoria in Praejudicium Juris Civitatis Clepardiensis per Serenissimos Antecessores Nostros benigne collatorum; Praepedimentumque Civium varia Onera ferentium Statuere. Inscriptionem Bonorum Immobilium Clepardiae sitorum alienatorias vel Obligatorias alibi praeterquam in Officio Consulari vel Judicio Advocatiali et Scabinali Clepardiensi sub Nullitate earundem Nisi in tempore ad propria Acta transponentur Recognoscere liceat. Confirmare ratificare Innovare; Privilegia seu Libertates ad Malam Cancellariae Nostrae Informationem et cum Praejudicio praetactorum Jurium Civitatis Clepardiensis per Varias Personas Privatas obtentas revocare, et Annihilare. Insuper a Solutione Hibernorum Cives et Incolas ejusdem Civitatis liberare dignaremur. Nos Supplicationi praefatae uti justae et rationi consonae benignè Annuentes. Ut eadem Civitas Nostra Clepardiensis per Hostilitatem Sueticam funditùs devastata; post multas tandem Calamitates ad pristinum Statum pervenire possit; et Cives ejusdem Domos suas tam pro Communi quam etiam Nostra Commoditate Necessarias reaedificare valeant; Universa et Singulà praedictae Civitatis Nostrae Clepardiensis Jura, Privilegia, Rescripta Plebistica, Decreta Libertates Immunitates Prerogativas, et Consuetudines ad huiusque Tempus practicatas, Nullis exceptis et Clausulis Nonnulliter ac si hic, de verbo ad verbum descripta forent; cum Omnibus eorundem etiam Noviter adjectis punctis Nexibus, Clausulis, Conditionibus et ligamentis Approbamus ratificamus innovamus. Privilegia seu exemptiones Juri Contrarias tam per varias Personas privatas obtentas, et Obtinendas; quam etiam certum punctum facultatem in se Continens, Macellorum Liniariorum in Contubernio eorundem Laniorum Clepardiensium. Inscriptiones alienatorias et Obligatorias Suscipiendi et recognoscendi per Famatos Lanios Clepardienses circa Confirmationem Jurium suorum obtentum; Uti Decreto Judicij nostri inter Successores Progamavianos et idem Contubernium Laniorum. Magistratumque Consulto Clepardiensem Varsaviae Feria Secunda in Crastino Dominicae Invocavit Quadragesimalem Die quinta Mensis Martij Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo Primo ex Partium Controversijs lato ac Consuetudini hucusque impracticatas contrarium revocamus annulamus nullius roboris esse volumus; Inhaerendoque Constitutionibus Regni eo nomine sancitis; a Solutione Hybernorum Cives et Incolas Clepardienses liberamus. Tum demum ab Omnibus vectigalium, vecturarum, equitaturarum quae vulgo Podwody dicuntur gravaminibus, vel solutione illarum pecuniaria tam pro praeteritis retenta, quam pro praesentibus et futuris annis provenienda, ex speciali gratia et Munificentia Nostra, saepè dictos Cives et Incolas perpetuo absolvimus et liberos pronuntiamus, Praesentibus literis Nostris decernentes ea Omnia vim et robur perpetuae firmitatis habere, et Obtinere debere; In cujus rei fidem praesentes manu Nostra subscriptas Literas Sigillo Regni Communiri jussimus; Datum Varsaviae Die xix. Mensis Decembris Anno Domini M.D.C.C. Augustus Rex. Confirmatio Generalis Omnium Jurium Privilegiorumque Civitatis Clepardiensis M. de Tęczyn Ossolinski V. D. Sigilli. M. R. Secretarius. Suplicatumque Nobis esse per Eosdem Consiliarios Nostros Nomine et pro Parte supramentionati Spectabilis Magistratus et Communitatis Civitatis Nostrae Clepardiensis; Quatenus Omnia praefata Civitatis Clepardiensis Jura; Privilegia, Plebistica Decreta, Libertates, Immunitates ac Consuetudines signanter praefatam Privilegium Serenissimi Parentis et Antecessoris Nostri approbare

et Confirmare

et Confirmare Authoritate Nostra Regia dignaremur. Cui Supplicationi uti justæ Nos benignè annuendo, eadem Jura Omnia et Privilegia Serenissimorum Antecessorum et Parentis Nostri, Declarationes Commissionis generalis Ejusdem Serenissimi Parentis Nostri ac Reipublicæ Anni Millesimi Septingentesimi Decimi Septimi, Rescripta Plebistica Libertates, Decreta Immunitates Prerogativas et Consuetudines adhucusque practicatas, nullis exceptis ac exclusis non aliter ac si hic de verbo ad verbum descripta forent; cum Omnibus eorundem punctis, Nexibus, Clausulis, Conditionibus et Ligamentis prout in se sonant; Approbandum et Confirmandum esse duximus. Prout et de Suprema Authoritate Nostra Regia, Approbamus Confirmamus Ratificamus, annovamus, Decernentes ea Omnia Vim et robur perpetuæ firmitatis Obtinere debere: In Cujus rei fidem præsentes Manu Nostra subscriptas: Sigillo Regni Communiri Jussimus: Datum Varsaviæ Die XXIV. Mensis Xbris Anno Domini MDCCXXXVIII. Regni vero Nostri Anno VI. Augustus Rex. Approbatio Jurium Civitatis Clepardiensis. Theodorus de Howel Scholasticus Cathedralis Livonien. Canonicus Pultovien. Sacræ Regiæ Majestatis et Sigilli Majoris Regni Secretarius. Supplicatumque Nobis esse per Eodem Consiliarios Nostros nomine et pro parte supranominati Spectabilis Magistratus et Communitatis Nostræ Clepardiensis Quatenus Omnia præfata Civitatis Clepardiensis Jura, Privilegia, Plebistica Decreta Libertates Immunitates ac Consuetudines practicatas approbare et Confirmare Authoritate Nostra dignaremur. Cui Supplicationi uti justæ Nos benignè annuendo eadem Jura Omnia et Privilegia Serenissimorum Antecessorum Nostrorum Poloniæ Regum tum Declarationes quasvis, Rescripta Plebistica, Libertates Decreta Immunitates, Prærogativas & Consuetudines adhuc usque practicatas nullis exceptis atque exclusis Non aliter ac si hic de verbo ad verbum descripta forent; cum Omnibus Eorundem punctis nexibus Clausulis articulis Conditionibus et Ligamentis prout in se sonant approbanda et Confirmanda esse duximus Prout et de Supræma Authoritate Nostra Regia Approbamus Confirmamus Ratificamus annovamus Decernentes ea Omnia vim et robur perpetuæ firmitatis Obtinere debere. In Cujus rei Fidem præsentes Manu Nostra Subscriptas. Sigillo Regni Communiri jussimus Datum Varsaviæ Die . . Mensis Anno Domini Millesimo Septingentesimo Septuagesimo Octavo.

Wł. Łopewski
Chełm